



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

## **Chronicon Cisterciensis Ordinis**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

Congregatio Fvliensivm monachorum, instituti Cistertiensis reformati,  
vulgò Fueilhans.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11259**

Antverpiensis, rector monasterij in Zirixæ opido Zelandiæ.

**CONGREGATIO FULIENSIVM**  
*monachorum, instituti Cistertiensis reformati, vulgo Fueilhans.*

**S**Excenta amplius eaque illustria in regno Galliæ sunt monasteria, Abbatiali dignitate illustria. Sed vnum hoc in primis omnes boni deplorant, pleraque non regulares, sed Commendatarios, ut vocant Abbates habere. Quo fit, ut non modò rigor disciplinæ monasticæ soluatur, sed & prædia ac vectigalia annua paulatim diminuuntur, ac pereunt. Existat ea de re insignis libellus monitorius Ioannis Filefaci, Theologi Parisiensis, nobis amicissimi, quem Ecclesiæ Gallicanæ veteris (adde, & nouæ) *Querelam* inscripsit.

Cæterum Abbates inter Commendatarios nostra ætate fuit & Ioannes Barrerius, Gallicè *de la Barriere*, vir nobili genere natus: cui quidem cùm Abbatia Fuliensis, instituti Cistertiensis in diœcesi Riuensi, provinciæ Tolosanæ, sita, in Commendam, ut vocant, effet collata, animum reuocans, cœpit de monastica vita amplectenda seriò cogitare. Itaq; ex Commendatario factus Abbas regularis, suos primūm sodales ac monachos ad veteris disciplinæ obseruantiam, ex-

T 3 emplo

emplo ac monitis reuocauit. Secuti mox alij; adeò, vt quidem vt *Henricus III.* Galliæ & Poloniæ Rex, increbrescēte fama cōmotus, ipsum *Barrerium* ad se euocarit. Venit itaque

**1587.** Lutetiam cū socijs sexaginta an. 1587. & à Rege ipso in saltu Vicenarum die xi. mensis Iulij (qui S. Benedicti translationi siue venerationi sacer est) humanissimè exceptus est. Inde cùm suis viii. Septembris (qui Deiparae natalis) migravit ad monasteriū ipsis ab eodem Rege extructum in Parisiensi S. Honorati suburbano, haud procul à cœnobio Capucinorum.

**1600.** Obiit autem *Barrerius* Romæ anno Christi M. DC. ætatis sexto & quinquagesimo, non sine opinione sanctitatis. Multa vir bonus à suis passus fuit, vt & olim Sanctus Benedictus, & Sanctus Robertus Abbas I. Cisterciensis, alijque piarum familiarum reformatores.

Gestant autem Fulientes habitum prorsus candidū, nudis incedunt pedibus, vt Capucini & Carmelitæ discalceati; abstinent ab esu carnium ac pisciū, non habent Abbates, sed Piores tantummodò: odeum siue chorum habent retrò post aram summam.

Cùm anno millesimo sexcentesimo decimo Lutetiæ versarer, præerat ibi Fulientibus R. P. N. GVLONIVS, Nicolai Gulonij, Græcarum litterarum Regij, olim Lutetiæ

tiæ Professoris filius, Græcè & ipse doctissimus, qui Dionysij Areopagitæ opera ex Græco Gallica reddidit, & alia varia publicauit.

CATALOGVS CŒNOBIO-  
rum reformatorum, instituti Fu-  
liensis.

Abbatia Fuliensis, Gallicè *des Fueilhans*, in diœcesi Riuensi, prouinciæ Tolosanæ, vulgò *Rieux, en Languedoc*.

Parisiense monasterium, in suburbano S.Honorati.

Fuliense monasterium in Normannia.

Fuliense monasterium in Britannia mi-  
nore, in Ducatu de *Rayz*.

Fuliense monasterium, apud Taurinum,  
Pedemontani Principatus metropolim.

Romanum Fuliense monasterium, haud  
procul à S.Maria Maiore.

Fuliense monasterium, in districtu To-  
losano.

Fuliense monasterium, in districtu Bur-  
digalensi.

Fuliense monialium cœnobium, *des Fueilhantes*, ad muros vrbis Tolosanæ, &  
alia.

Choppinus lib. I. Monast. tit. I. §. 14. scribit  
à Clemente VIII. constitutum, vt Abbas,  
seu Prior congregationis Fulensis tantum-

T 4 modò